Dissertationes Academicae

Bonnenses

Medicae

ann.

1838—1840.

DE NUMERO DIGITORUM ADAUCTO.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA REGIA LITTERARUM

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

GRADUM RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT

ET DIE XX. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXXVIII.

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS ROSBACH

TREVIR.

OPPONENTIBUS:

FR. BAUSCH, med. et chir. Dr. pract.

TH. BONNENBERG, med. et chir. cand.

J. STACHELHAUSEN, med. et chir. cand.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MEDICIN. CHIRURG. PHILOSOPH. DOCTORI,
REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBLIC.
ORDINAR., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENS., SOCIETAT.
COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

DE NUMERO DIGITORUM ADAUCTO.

§. 1.

Si perlustras genera tam varia deformitatum, quibus homines sunt subiecti, invenies nullum temporibus iam longe praeteritis, terris tam diversis et remotis, tantaque in frequentia, ut adeo per totas familias propagaretur, esse observatum, quam hoc, de quo latius hic disserere nobis in animo est. Quae quidem res et huius deformationis casus, descriptione vere dignus a nobis ipsis observatus, nos impulerunt, ut propius inquireremus momenta praecipua hac in re consideranda.

I.

§. 2.

Primo interrogari potest, quomodo ceteris digitis affingantur supernumerarii, quomodo sensim sensimque reddantur pefectiores, et qualis perfectionis gradus altissimus sit observatus. Itaque in sequentibus qualitatem, perfectionis gradum, modumque exponamus.

§. 3.

In gradu duplicationis maxime a perfectione remoto videmus appendiculam digito similem formari, cui plerumque una

vel plures cartilagines seu ossicula inesse solent. Cartilagines vel ossicula nullo modo iuncta sunt cum digitis normalibus, nisi cute, tela cellulosa, et interdum massa tendinosa, et digitus eo loco, quo adhaeret, saepe subito redditur multo tenuior. 1)

§. 4.

Huic dispositioni proxima est illa, in qua digitus accedens cum digitis ceteris iungitur articulo, et quidem in gradu primo nulla adhuc reperitur multiplicatio ossium metacarpi sive metatarsi, multo rarius ossium carpi seu tarsi incrementum. Casus huc pertinentes distingui possunt 1) quoad magnitudinem digiti accedentis, 2) quoad numerum, quem continet cartilaginum, vel ossium, et 3) quoad locum, quo adhaeret digitus ceteris.

Sic *Meckel* 2) in puella neonata vidit in manu utraque appendiculam, vix tertiam digiti minimi partem aequantem, quem tenuissima et planissima, e regione baseos phalangis mediae orta, cartilaginem simplicem in tota longitudine continebat.

---

1) *J. Fr. Meckel* de duplicitate monstrosa commentarius. Halae et Berolini 1815. §. L. 2.

Generalbericht des königl. rhein. Medicinalcollegii über das Jahr 1827. Coblenz 1830. p. 147. — Cf. infra p. 31.

L. Heister's Chirurgie. Nürnberg 1763. 2. Thl. 32 Cap. p. 452.

Merkwürdiger Fall von Ueberzahl der Zehen von Prof. *Blasius* in Halle in *A. Elias von Siebold's* Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. XIII. Bd. St. 1. VII. — Cf. p. 13.

Das *Ausland* Nro. 269. Ein Tagblatt für Kunde des geistigen und sittlichen Lebens der Völker. 25. Sept. 1836. — Cf. p. 35.

2) *L. c.* §. L. 2.

In casu altero ab eodem observato [3]) in manibus pedibusque seni aderant digiti, e media phalange prima exeuntes. Digiti manuum accedentes binas habuerunt cartilagines, atque unguem; iisdem vero pedum accessoriis tres inerant phalanges cartilagineae.

Similis casus est tertius, in quo aderant digiti manuum duodecim. [4])

Hecking [5]) in neonatis duobus vidit digitum manus accessorium phalangi digiti quinti mediae adhaerentem, et in altero quidem casu in manu utraque hanc deformitatem observavit. Nulla habuerunt articula, tamen unguibus instructi erant.

Huc etiam spectat descriptio adolescentis Zerah Colburn, quam nobis dedit *Carlisle* [6]), et casus, quos enarrant *Bartholinus* [7]), *Heister* [8]), *Morand* [9]), *Schmucker* [10]), *Blasius* [11]) et *Heussner* [12]), et quos alio adhuc loco tradam.

---

3) Ibid.

4) Ibid.

5) *L. Fr. von Froriep's* Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde. 8. Bd. Nr. 4. p. 58. —

6) An account of Family having Hands and Feet with supernumerary Fingers and Toes. By *Anthony Carlisle* Esq. F. R S in: *Phil. Transact.* 1814. Part. I. p. 94. Cf. p. 33.

7) Acta medica et philosophica Hafniens. anni 1673. vol. II. Hafniae 1675. Nro. XXXII. cf. p. 19. et anni 1671 et 1672 Nro. XCIII. Cf. p. 25.

8) *L.* c. p. 452.

9) Recherches sur quelq. conformat. monstr. des doigts dans l'homme p. 143. (cf. p. 19.), et fig. 4, 8. (cf. p. 12.) et 9. in: *Histoire* de l'Académie royale des sciences. Année 1770.

10) *J Fr. Meckel's* Handbuch der patholog. Anatomie. 1. Bd. Leipz. 1812. p. 16. Cf. p. 31.

11) *A. E. v. Siebold's* Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankh. XIII. Bd. St. 1. VII. Cf. p. 13.

12) *Generalbericht* des kön, rhein. Medic. Colleg. üb. d. J. 1827. l. c. Cf. p. 31.

Praeterea nobis ipsis casus huc pertinens occurrit anno MDCCCXXXVI, quem paucis verbis exponamus.

Elias Damm ex oppido Dueren, annos natus XIX, sutor, qui morbi causa clinicum therapeuticum Bonnense petierat, curaeque nostrae commissus, duos adhuc inter vivos sibi esse gaudet fratres, quorum alterius pedes etiam senis instructi sunt digitis, hoc tamen discrimine, ut utriusque pedis digiti optime sint evoluti, quum dexter tantum Eliae pes bonam ostendat conformationem. Ipse similis est matri, frater patri. Pater nullam habet deformitatem, mater vero eodem laborat vitio. De parentum parentibus, avis et fratribus nil certi referre potest Elias. In pedibus haec invenimus. In pede dextro quinque tantum sentiuntur ossa metatarsi, plane quoad latitudinem ad normam formata. Phalanx prima digiti pedis quinti in fine posteriore ad normam ficta finem anteriorem versus existit latior, ita ut assequatur latitudinem linearum octo, quo quidem in loco duae adnatae sunt phalanges secundae, tertias ferentes phalanges. Uterque digitus omnino bene formatus est, exterior tantum callosus. Unusquisque horum digitorum optime moveri potest in articulo ad phalangem primam. Si moves phalangem primam in articulo ossis metatarsi, nullam sentis in ea divisionem, qua re denuo probatur, phalangem simplicem tantum esse. Calceo digitus quintus plane super quartum translatus est, ita ut sextus locum teneat quinti, et margo pedis externus, secundum normam in anteriore parte paulum ad latus internum flexus, hoc in casu directionem obtineat rectam. Si digitum quintum deprimis iuxta quartum, sextus latus externum versus dirigitur, ita ut pedis margo externus plane contrariam accipiat directionem, quam habere debeat. Ceterum hac pedis forma abnormi ingrediendi impedimentum non existit. Pes sinister in universum bene formatus etiam quinque habet ossa metatarsalia. Ab articulo ossis metatarsi quinti phalanx prima bene mobilis ten-

dit anteriorem atque interiorem versus pedis partem, ita ut digitus quintus plane ad normam formatus prorsus incumbat quarto. Phalanx altera prima accessoria, quam cum spina in ramo comparari licet, quaeque cum pedis margine externo angulum effingit fere rectum, etiam iusto modo moveri potest in articulo ossis metatarsi quinti, formatque digitum sextum, a tergo usque ad apicem cono similem, nullum amplius articulum ostendentem. In eius superficiei superioris callo obtectae parte anteriore adest macula parva, latitudine partis pollicis duodecimae, rubra, et media in ea linea conspicitur alba, paulum elata, locum significans unguis. Paululum magis ad apicem digiti versus similis est macula, calcei frictione orta. In loco supra descripto interdum procrescit unguis statim difficultatis inter eundum causa abscindendus. In universum digitus hic tam contra regulam positus ingressum quodammodo impedit cum pede sinistro, quum inter digitum quintum et sextum magna sit incisura arcuata, inter pedis dextri vero digitum quintum et sextum fissura tantum adsit.

§. 5.

Evolutionem si persequeris huius deformitatis generis invenies in conformationis gradu altiore in duas partes fissam esse phalangem vel os metacarpi seu metatarsi. Duo, casus huc pertinentes nobis exposuit *Meckel* [13]).

Casus primus spectat ad pedem puellae Aethiopis sinistrum. Digitus sextus et quintus pollicem dimidium breviores fuere quarto. Os metatarsi quintum, paulum, quam esse debuit latius, primam tulit phalangem etiam latiorem, ex ossibus, si accuratius inquireres, duobus compositam, cartilagine iunctis. Huic phalangi primae insedit phalanx secunda

---

13) De duplicit. monstr. comment. §. L. 2.

item solito latior, in anteriore parte in duas fissa, quibus affixa est utraque phalanx tertia, cute tantum iuncta. Sextus modo digitus tendinem acoepit a musculo peronaeo brevi et abductori.

In casu altero ab eodem auctore narrato duodecim in pedibus aderant digiti. Digitus sextus iuxta quintum positus magnitudinem assecutus est secundi. Ossis metatarsi quinti solito latioris parti anteriori in duas fissae duae inerant superficies articulares digiti quinti sextique phalanges primas excipientes. Musculi peronaei tertii tendo solito longior in regione baseos primae phalangis dividebatur in duos, quintum sextumque digitum adeuntes. Musculus abductor digiti minimi in digito sexto tantum, musculus flexor brevis digiti minimi modo in quinto insertus est; ille tamen fasciculum parvum misit ad sexti faciem inferiorem, flexoris eius brevis rudimentum. Digitus sextus tendinem proprium ac fortem accepit a flexoribus communibus. Musculus interosseus tertius internus et lumbricalis quartus digitum modo adiere quintum.

Morand [14]) feminam novit, cuius filiae iam absciderat digitum sextum, cuiusque tertia pollicis phalanx findebatur in partes duas, osse atque ungue proprio instructas. Auctor idem alios adhuc casus nobis tradidit [15]).

Praeterea legas, quae exhibent *Bartholinus* [16]), *van Doeveren* [17]), *Schmucker* [18]), et *Blasius* [19]), quaeque infra

---

14) *Hist.* de l'Ac. royale des sc. année 1770. p. 150. Cf. p. 30.

15) L. c. p. 139. fig. 3. fig. 6.

16) *Acta Hafniens.* a. 1671 et 1672. Num. XCIII. p. 182. Cf. p. 25.

17) *Gualth. van Doeveren* specimen observationum academicarum. Groningae et Lugd. Bat. 1765. Cap. XV. §. IV. p. 259 etc. Cf. p. 28.

18) *J. Fr. Meckel* Handb. d. path. Anat. Bd. I. p. 16. Cf. p. 31.

19) *L. c.* Cf. p. 13.

adhuc relata sunt. Teste *Hallero* [20]) tales casus communicarunt etiam *Buchner* [21]), *Valisneri* [22]), *Réaumur*, et *museum Petropolitanum* [23]).

§. 6.

Perfectissimum gradum in conformatione digiti sexti videmus in casibus his, in quibus digito accedenti omnino proprium attribuitur os metacarpi vel metatarsi.

Jaucourt [24]) nobis retulit descriptionem pueri menses sedecim nati in utraque manu et pede sex habentis digitos. Digitus manus dextrae lateri ulnari adnatus articulo iunctus erat cum sexto osse metacarpi. Digitus sextus utriusque pedis margini externo insitus etiam proprium possedit os metatarsi. Hi digiti accedentes manus pedesque latiores tantum reddiderunt sine ulla deformitate, atque eodem omnino facilitate ut ceteri moveri potuerunt.

Carlisle [25]) (in descriptione Abiah Colburn), *Bartholinus* [26]), *Morand* [27]) et *Blasius* [28]) de eiusmodi casibus scripserunt, quos postea [29]) enarrabo, nec non testibus *Meckelio* [30]) et *Hallero* [31]), *Oberteuffer*, *Schmucker*, et *Winslow*.

---

20) *Haller* de monstris in opp. minorib. T. III. IX. p. 27.

21) *Miscell.* 1727. p. 406.

22) I. p. 379.

23) I. p. 297.

24) *Encyclopédie* ou dictionnaire raisonné des sciences, des arts et des métiers. A Paris. 1735. Tom. V. Article Doigt. p. 14.

25) *Phil. Transact.* 1814. Part. I. p. 94.

26) *Acta* medic. et philosophic. Hafniens. anni 1673. vol. II. Hafn. 1675. Num. XXXII.

27) Hist. de l'Ac. royal. des scienc. année 1770. p. 143. fig. 1, 2, 8 et 9.

28) *A. E. v. Siebold's* Journal etc. l. c.

29) Cf. p. 33. p. 13. p. 19. et p. 13.

30) De dupl. monstr. §. L. 2.

31) *L.* c. p. 27.

In casibus, ubi numerus digitorum adauctus senarium excedit, fere semper etiam numerus crescit ossium metacarpi vel metatarsi, quod videre potes pluribus in casibus modo citatis.

Quamquam vero formatione proprii ossis metacarpi vel metatarsi structura digitorum accedentium interna maiorem assequitur perfectionem, tamen de digito accedente in universum nequaquam idem valet. Nam modo videmus digitos accedentes formosos, ad omne negotium aptos, modo vero forma prava, viribus expertes, ceteros adeo impedientes. Saepissime enim digitis illos breviores seu longiores, una vel pluribus phalangibus carentes, nullis vel paucis tantum musculis instructos, forma ingratos et crebro cute modo et tela cellulosa aliis cum digitis coniunctos reperimus. Huius generis casus iam supra retulimus, et alios narrant *Valleriola* et *Saviard* teste *Meckelio* [32]), porro *Cauroi* [33]), *Sampson* [34]), *Heister* [35]), *Morand* [36]), *Menou* [37]), *Godeheu de Riville* [38]), *Blasius* [39]), et diarium, quod nominant: *das Ausland* [40]).

Pulchram digitorum accedentium formam cum recto

---

32) De dupl. monstr. §. L. 2.

33) *Journal des Sçavans* pour l'année 1696. Tom. 24. à Amsterdam 1697. p 81. Cf. p. 26.

34) *Miscell.* curios. medico-physica academiae naturae curios. etc. annus 1672. Lips. et Francofurt. 1681. Observat. CLXIX. Cf. p. 25.

35) *L. c.* p. 452.

36) *L.* c. fig. 8 et 9.

37) Oeuvres d'histoire naturelle et de Philosoph. de *Charles Bonnet.* Tom. VI. A Neufchatel 1779. (Considérations sur les corps organisés. Tom. II.) Chap. VIII. CCCLV. p. 500 etc. Cf. p. 32.

38) *Ch. Bonnet* l. c. p. 478. Cf. p. 34.

39) *A. E. v. Siebold's* Journal etc. l. c. Cf. p. 13.

40) Nro. 269. 1836. Cf. p. 35.

eorum usu coniunctam videmus in casibus, quos narrarunt *Cardanus*, *Winslow*[41], *Bartholinus*[42], *Jaucourt*[43], *Morand*[44] et *Bonnet*[45] (de Gratio et Salvatore Kalleja).

II.

§. 7.

Supra consideravimus, quomodo formatio digiti accedentis sensim evolvatur, et ad altiorem ascendat gradum; imo in pluribus iam casibus vidimus a nisu formativo longius progresso adeo plures quam unum tantum digitum accedentem creari. Haec nos adducunt eo, ut perscrutemur leges, quae de numero valeant digitorum accedentium, quae disquisitio iterum dividitur in partes duas 1) quousque numerus digitorum adauctus normam excedere possit, et 2) quae sint leges, quae valeant, si numerus hic adauctus simul occurrat in pluribus extremitatibus.

§. 8.

A. Saepissime unus tantum reperitur digitus accedens, ut iam exempla docent supra [1]) memorata. *Haller* [2]) perplurimos citat, et secundum *Meckelium* [3]) talia narrant

---

41) *Haller* de monstr. l. c.

42) *Act. Hafn.* anni 1673. vol. II. num. XXXII. Cf. p 19.

43) *Encyclop.* l. c. Cf. supra p. 7.

44) *L. c.* p. 142. Cf p. 19.

45) *L. c.* p. 478 etc. Cf. p. 34.

1) Cf. p. 2 et 3.

2) *L* c.

3) De dupl. monstr. l. c. — Handb. d. path. Anat. Bd. I. l. c.

diaria, quae nominant *Breslauer Sammlung* [4]), *Phil. tr.* [5]), *Plancus* [6]), *Saviard* [7]), *Chevalier* [8]), *Oberteuffer* [9]), *Bremer* [10]), *Schmucker* [11]) et *Walter* [12]). Alios casus postea adhuc enarrandos nobis tradiderunt *Plinius* [13]), *Sampson* [14]), *Bartholinus* [15]), *Plater* [16]), *Ruysch* [17]), *Heister* [18]), *Doeveren* [19]), *Suë* [20]), *Morand* [21]), *Jaucourt* [22]), *Osiander* [23]), *Carlisle* [24]), *Rust* [25]),

---

4) Jahrg. 5. P. 5. Cf. p. 32. — Winterq. 1718. p. 840. Cf. p. 27. — Vers. 5. p. 1658. Cf. p. 27.
5) no. 160. p. 599. Cf. p. 27.
6) De monstris. Venet. 1749. p. 8. Cf. p. 28.
7) Obs. chir. p. 402.
8) *Corvisart* j. de méd. T. 16. p. 370. Cf. p. 27.
9) *Stark's* n. Arch. f. d. Geburtsh. Bd. 2. St. 2. p. 642.
10) *Hartenkeil* med. chir. Zeit. 1803. IV. p. 255.
11) Chirurg. Schrift. Bd. 2. S. 84. Cf. p. 31.
12) Museum anatom. p 123. n. 821. Cf. p. 27.
13) Histor. natural. Bipont. 1783. Lib. XI. Cap. XCIX. p. 307. Cf. p. 30.
14) *L.* c. Cf. p. 25.
15) *Locis citat.* Cf. p. 19. et p. 25.
16) Observationum lib. III. Basileae 1614. p. 551. Cf. p. 12. — Eiusdem praxeos medicae tom. III. Basileae 1656. p. 7.
17) Adversariorum anatomico - medico - chirurgicorum decas I. VIII. Amstelodami 1717. p. 20. Cf. p. 13.
18) *L.* c.
19) Specimen observationum academicarum etc. Groning. et Lugd. Bat. 1765. Cap. II. §. X. p. 57. Cf. p. 30. — Cap. XV. §. IV p. 259. Cf. p. 28.
20) Histoire de l'acad. royale des sciences. 1746. p. 61. Cf. p. 26.
21) *L.* c. Cf. p. 19, p. 29, et p. 30.
22) Encycl. ou dictionn. raisonné des sciences etc. Tom. V. à Paris 1735. Article Doigt p. 14 et 15. Cf. p. 7, et p. 27.
23) Epigrammata in diversas res musei sui anatomici. Gotting. 1814. IX. p. 36. Cf. p. 26.
24) *L.* c. Cf. p. 27.
25) Magazin. Bd. 19. XIX. 1. c. p. 361. Cf. p. 31.

Heussner [26], *Kopstadt* [27], *Hecking* [28] et *Willigens* [29]. Etiam *literarum sacrarum* liber, qui inscriptus est Regum secundus hac de re loquitur [30], nec non casus noster huc pertinet [31]. Imo frequentia huius deformitatis tanta est, ut totae familiae ea laborantes inveniantur, exempli gratia familia *Volcatia* et *Horatia* [32], *Bilfingeriania* [33], *Ruhiana* [34], *Kallejana* [35], *Colburniana* [36], *Spackmanniana* [37], et familiae in agro *Andegavorum* [38]. Videas etiam *Meckelium* [39] et cf. p. 2, 3, 5 et 6.

Rem magis quidem ad artifices spectantem, memoratu tamen maxime dignam nobis narravit *Morand* [40]. Dixit nempe Mediolani servari tabulam ab illustrissimo Leonardo da Vinci pictam, sacram coenam exprimentem, in qua conspici liceret apostolum sedigitum. Idem novit in coenaculo magnae abbatiae picturam festum pentecostes repraesentantem, in quo vidit apostolum, facie humi prostrata, cubitis fultum, manibus in altum sublatis, et complicatis, in quibus digitos commode numerare licuit duodecim.

---

26) Generalbericht etc. l. c. Cf. p. 31.

27) Ibid. Cf. p. 31.

28) Cf. p. 3.

29) *L. Fr. v. Froriep's* Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde 8. Bd. Nro. 4. p. 58. Cf. p. 31.

30) Cap. XXI. v. 20. Cf. p. 18.

31) Cf. p. 4.

32) *Plinius* l. c. Cf. p. 30.

33) *van Doeveren* l. c. Cap. II. §. X. p. 57. Cf. p. 30.

34) Lettres de monsieur *de Maupertuis*. Sécond. édit. A Berlin 1753. XIII. p. 112. Cf. p. 33.

35) *Ch. Bonnet* l. c. p. 478. Cf. p. 34.

36) *Carlisle* l. c. Cf. p. 33.

37) *Das Ausland* l. c. Cf. p. 35.

38) *Ch Bonnet* l. c. p. 500. Cf. p. 32.

39) De dupl. monstr. l. c. — Hdb. d. path. Anatom. Bd. I. l. c.

40) *L.* c. p. 150.

§. 9.

Septem digitos retulerunt (secundum Meckelium) *Vallericla* [41]), diarium: *Breslauer Sammlung* [42]) et *Walter* [43]), praeterea *Cauroi* [44]), *Vollgnad* [45]), *Ruysch* [46]), *Menou* [47]) et *Morand* [48]).

Felix Plater [49]) puerum vidit, qui in utraque manu sex habebat digitos, quorum unus in altera manu digito medio adnatus erat. In pede sinistro etiam sex habebat digitos, et in dextro septem.

§. 10.

Digitos octo viderunt *Ruysch* [50]), *Cauroi* [51]), *Neumann* [52]) et *Haller* [53]). *Morand* [54]) pedem descripsit octo digitis instructum, eiusque nobis effigiem tradidit. Digitus secundus duas tantum ceteris breviores habuit phalanges; ossi metatarsi ultimo, multo latiori, duo insidebant digiti coaliti.

Idem [55]) in Indiae monte incolas omnes octonis pedum digitis instructos esse contendit.

---

41) Obs. medic. 1605. p. 256.
42) Vers. 5. p. 1658. Cf. p. 27.
43) Museum anatomic. p. 128 n. 3026. Cf. p. 27.
44) *Journ. des Sçav.* l. c. Cf. p. 26.
45) Miscell. curios. medic. etc Obs. CCXCIX. Cf. p. 25.
46) Advers. I. c. p. 20. Cf. p. 13.
47) *Ch. Bonnet* l. c. p. 500. Cf. p. 32.
48) *L. c.* fig. 7. Cf. p. 29.
49) Observat. etc. Basil. 1614. p. 551.
50) L. c. p. 20. Cf. p. 13.
51) *Journ. des Sçav.* l. c. Cf. p. 26.
52) Comm. nor. 1740. p. 172. Cf p. 25.
53) *L. c.* Tom. III. §. XIV. p. 50. Cf. p. 25.
54) *L. c.* fig. 8 et 9.
55) *L. c.* p. 142.

§. 11.

Novem in una manu digitorum exemplum hoc tantum invenire potuimus. *Fridericus Ruysch* [56]) scilicet sceletum descripsit, cuius manui dextrae septem inerant digiti, sinistrae sex cum duabus appendiculis; pes dexter digitis octo praeditus erat, pes vero sinister novem.

§. 12.

Saviard [57]) casum refert, ubi simul in manibus et pedibus deni aderant digiti, sed speciem prae se ferentes, quasi essent fracti.

Exemplum alterum nobis narravit *Blasius* [58]), quod, quia tam multa offert memoratu digna, non possumus, quin accuratius exponamus.

Casus pertinet ad infantem, hebdomades natum quatuor, quem parentes, rustici iuvenes, sani, nulla deformitate laborantes, ad Blasium ferebant, ut ei abscinderentur digiti snpernumerarii, quibus praeditus erat pes sinister. Primo aspectu novem numeravit digitos; quum autem rem accuratius perscrutatus esset, haec invenit. 1) ad marginem externum pedis iuxta digitum minimum alius digitus erat articulo iunctus, qui, quod attinet faciem exteriorem, bene conformatus videbatur, magnitudinem conditionemque digiti minimi fere aequabat, ungue quoque iusto instructus erat, nullum vero proprium, tactu distinguendum, os possidebat metatarsi, sed cum eodem digiti minimi erat coniunctus. Porro 2) inter digitum secundum et tertium digitus situs erat valde imperfectus, speciem habens polypi, unguis

---

56) *L.* c. p. 20.

57) Obs. chir. p. 402.

58) Merkwürdiger Fall von Ueberzahl der Zehen in *A. E. v. Siebold's* Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. XIII. Bd. St 1. VII. p. 131.

modo rudimentum ostendens, et, secundum explorationem externam, neque cum osse metatarsi distincte articulo connexus, neque phalangibus, neque articulis praeditus. 3) Super digitum secundum digitus erat proprio osse metatarsi instructus, latior subiacente digito normali, et cum hoc maxima ex parte in superficie inferiore coalitus, ita ut hic illum in altum traheret. Duas habuit phalanges, et in secunda unguem longiorem, quam in digito subiacente. Inquisitio postea instituta demonstravit hunc digitum e duobus consistentem, cute tantum et tela cellulosa coniunctis. 4) Denique sentiri licuit in hallucis latere exteriore principium alius, et distinctissime quidem in regione phalangis secundae hallucis. Externe hallux hic secundus cute cum normali coniunctus sulco tantum parvo ab eo divisus erat, et eius phalangem primam versus cum ea coalescere videbatur. Etiam in hallucis ungue vestigium inveniri potuit divisionis. Pes facile mobilis non modo in parte auteriore, sed etiam in regione ossium metatarsi et tarsi multo erat latior, quam dexter, eiusque margo externus deorsum vertebatur. Aliae deformitates non aderant. Primo digitus in secundo insidens abscisus est cum osse metatarsi. Huius ossis metatarsi pars posterior articulo iuncta erat cum parte posteriore et superiore ossis metatari digiti secundi, pars vero anterior cum suo digito. Digitus ipse phalanges duplices habuit. Nam sub phalange cum osse metatarsi iuncta similis erat sita, paululum tantum ea brevior, tela cellulosa coniuncta cum ea, et articulo cum èxtremitate anteriore ossis metatarsi digiti secundi. Utraque haec phalanx prima articulo iuncta erat cum propria phalange secunda. Phalanx superior ungue praedita minoris quidem longitudinis ac valoris fuit, et tenuis, uti cartilago, pone unguem progressa paululum, sensim extenuata magis, finem habuit. Phalanx inferior secunda, cum superiore tela cellulosa arctissime connexa, a fronte excepit partem unguis anteriorem, et composita fuit

e duabus partibus vel phalangibus, articulatione vix tantum conspicua iunctis. Et in cartilagine metatarsi et in prima phalange duplicata ossificatio inceperat; musculorum seu tendinum ne vestigium quidem inveniri poterat. Diebus post operationem praeterlapsis quatuordecim abscidit Blasius etiam iuxta digitum minimum et inter digitum secundum et tertium digitum accessorium. Ille phalangibus tribus, quarum prima iam e maxima parte fuit ossificata, instructus, articulo iunctus erat cum osse metatarsi quinto, tendinibus vero carebat. Hic inter digitum situs secundum et tertium, speciem polypi prae se ferens, cartilaginem etiam e duabus partibus compositam continebat.

§. 13.

Teste *Morando* 59) *Rueff* 60) effigiem nobis dedit infantis, cui utraque manus atque uterque pes duodecim luxuriabant digitis, sed ita, ut eluceret, manus pedesque e binis sex digitos habentibus esse concretos.

§. 14.

B. Quod attinet leges, quae valent, si numerus adauctus digitorum simul occurrit in pluribus artubus, notandum est, saepius plures esse affectas extremitates, in hisce saltem casibus, in quibus plures uno accedant digiti.

§. 15.

1. Huius deformitatis in una tantum extremitate occurrentis exemplorum copiam iam supra 61) tradidimus, aliaque adhuc aliis locis referamus 62).

59) *L. c.*

60) De conceptu et generatione hominis. Lib. V. Cap. III.

61) Cf. p. 3, 5, 6, 12 et 13.

62) Videas: *Frider. Benj. Osiander* epigrammata in diversas res musei sui anatomici. Götting 1814. IX. p. 36. Cf. p. 26.

§. 16.

2. Casus, in quibus numerus auctus est digitorum aut utriusque manus, aut utriusque pedis, etiam non rari sunt, haud rariores saltem, quam casus, in quibus unum modo membrum hoc affectum erat vitio, sed e contrario sunt frequentissimi, et tota adeo dantur genera hoc vitio laborantia, ut familia Horatia et Volcatia[63], familiae Andegavorum[64] atque incolae montis Indiae supra memorati[65]. Imo contendi potest, in omnibus fere casibus, in quibus pluribus, quam sex tantum digitis laboraverit manus seu pes, plures quoque hoc vitio affectos fuisse artus. Multa exempla iam narravimus[66], sed permulta adhuc re-

---

L. Heister l. c.

Encyclop. ou dict. raiss. des scienc. etc p. 14. Cf. p. 27.

Gualth van Doeveren specim. observ. academic. etc. Groning et Lugd. Bat. 1765. Cap. II. § X. p. 57. Cf. p. 30.

Idem cap. XV. §. IV. p. 259. Cf. p. 28.

Miscell. cur. medic. physic. etc. annus 1672. Lips. et Francofurt. 1681. Obs. CCXCIX. Cf. p. 25.

Ch. Bonnet Oeuvres d'hist. natur. etc. Tom. VI. A Neufchatel. 1779. p. 500. Cf. p. 32.

J. Fr. Meckel de dupl monstros. etc. §. XX. Cf. p. 25,

Histoire de l'acad. royale des sciences 1746. p. 61. Cf. p. 26.

Generalbericht d. kön. rhein. Med. Coll. etc. l. c. Cf. p. 31.

Haller de monstris etc. §. XIV. p. 50. — Cap. XXIV. p. 91.

63) *C. Plinii* II. histor. natural. Biponti 1783. Lib. XI, cap. XCIX. Cf. p. 30.

64) *Bonnet* l. c. p. 500. Cf. p. 32.

65) Cf. supra p. 12.

66) Cf. supra p. 2, 3, 4 et 6.

stant, quae referunt (teste Meckelio) [67] diarium *Breslauer Sammlung* [68], *Walter* [69], *Oberteuffer* [70] et (teste Hallero) [71] diarium: *Journal de Médecine* [72]; porro *Meckel* [73] ipse vidit in infantis utraque manu senos digitos; porro *Morand* [74], *Carlisle* [75], *Heussner* [76] et *Willigens* [77].

Nos ipsi hac in urbe militem vidimus in utroque pede pulcherrime conformato sex aeque pulchros possidentem digitos, nullam plane parantes difficultatem.

§. 17.

3. Raro numerus digitorum adauctus in uno solummodo corporis latere observatur, atque unum modo huius rei exemplum citare possumus, quod retulit *Chevalier* [78].

§. 18.

4. Aeque rara, ac priora, exempla sunt, in quibus manus lateris alterius, pesque alterius digitis abundat. Tamen duo nobis attulerunt *Oberteuffer* [79] (pollex et hallux duplex) et *Maupertuis* [80].

---

67) De dupl. monstr. l. c.
68) Vers. 5. p. 1658. Cf. p. 27.
69) Mus. anatom. p. 123. n. 821. Cf. p. 27.
70) *L. c.* p. 642.
71) *L. c.*
72) II. n. 4.
73) De dupl. monstr. §. L. β.
74) *L. c.* p. 138 et 139. Cf. p. 29.
75) *Phil. Transact.* 1814. P. I. p. 97. Cf. p. 27.
76) *Generalbericht* etc. l. c. Cf. p. 31.
77) *L. Fr. v. Froriep's* Notizen etc. l. c. Cf. p. 31.
78) *Corvisart, J.* de méd. T. 16, p. 370. Cf. p. 27.
79) *Stark's.* n Arch. f. d. Gbrtsh. Bd. 2. St. 2. p. 642.
80) Lettres Séc. édit. A Berlin 1753. L. XIII. p. 112. Cf. p. 33.

§. 19.

5. Etiam duo modo exempla invenire potuimus, in quibus tres tantum extremitates numero digitorum adaucto laboraverint, et quidem a *Bonneto* [81]) citata et a *Carlislio* [82]).

§. 20.

6. Maxima vero casuum adest multitudo, in quibus omnium artuum digitorum numerus auctus fuit.

Libri divini [38]) iam dicunt: „Item apud Getham „[certatum fuit], ubi immani quidam statura fuit, senos et „manuum et pedum digitos, id est, viginti quatuor numero „digitos habens, ortus et ipse ex gigantibus."

Saepius videmus hoc vitium hereditarium, ut in familia *Bilfingeriana* [84]), *Kallejana* [85]), *Colburniana* [86]), *Spackmanniana* [87]) et *Ruhiana* [88]). Alios casus iam supra attulimus [89]). Testante Meckelio [90]) tales quoque reperiuntur in diario: *Breslauer Sammlung* [91]), apud *Kerkringium* [92]) (manus senis instructae erant digitis, pes dexter octo, sinister novem) et *Valleriolam* [93]), qui iuvenem vidit cum ma-

---

81) L. c. p. 478. Cf. p. 34.
82) L. c. p. 94. Cf. p. 33.
83) Reg. lib. II. cap. XXI. v. 20.
84) *J. Fr. Meckel* de dupl. monstr. §. XI. Cf. p. 30.
85) *Bonnet* l. c. Cf. p. 34.
86) *Phil. Transact.* 1814. l. c. Cf. p. 33.
87) *Das Ausland* Nro. 269. 1836. Cf. p. 35.
88) *De Maupertuis* Lettres etc. l. c. Cf. p. 33.
89) Cf. supra p. 7, 12, 13 et 15.
90) De dupl. monstr. l. c.
91) J. 5. P. 5. Cf. p. 32. — Winterq. 1718. p. 840. Cf. p. 27.
92) Obs. chir. 22.
93) Obs. medic. lib. IV.

nuum digitis senis, pedum septenis, quorum pollex duplicatus erat. Videas quoque *Borrichium* 94), *Sampsonium* 95), *Cauroi* 96), *Schmuckerum* 97) et *Rustium* 98).

Thomas Bartholinus 99) Aethiopem vidit, cui in utroque manu et utroque pede erant digiti sex propriis cum ossibus metacarpi et metatarsi, tam bene conformati, ut loco incommodi maius adhuc sentiret robur in membris.

Morand 100) casum exhibuit, quem observavit in iuvene anno aetatis octavo decimo mortuo. Parentes optime conformati inter octo liberos duos procrearunt cum digitis sex utriusque manus ac pedis. Natu minimus quindecim tantum dies vixit. Natu primi manus sinistra sexto praedita erat digito bene formato, articulo iuncto cum osse metacarpi sexto, et tribus phalangibus instructo. Os hamatum naturali latius duas ostendit facies articulares pro digito quinto et sexto. Spatia inter ossa metacarpi expleta erant musculis interrosseis externis quinque et internis quatuor. Digitus quintus et sextus a musculo extensore communi proprios accipiebant tendines. Abductor, flexor brevis et lumbricalis (?) (le métacarpier) ad digitum quintum pertinentes se inserebant ad sextum. Hic vero tendinem a musculo flexore sublimi non accepit, sed modo tendo musculi flexoris profundi, adiens quintum digitum, partem etiam ad sextum misit. — In manu dextra quinque tantum ossa metacarpi fuere; quintum multo maius et latius faciem ostendit

---

94) *Thom. Bartholini* Act. Hafn. 1671 et 1672. num. XCIII. p. 182. Cf. p. 25.

95) Miscell. cur. med. etc. anni 1672. Obs. CLXIX. Cf. p. 25.

96) *Journal des Sçav.* l. c. Cf. p. 26.

97) Chirurg. Schriften. Bd. 2. p. 84. Cf. p. 31.

98) Magaz. Bd. 19. XIX. l. c. p. 361. Cf. p. 31.

99) Acta Hafn. etc. anni 1673. num. XXXII.

100) *L. c.* p. 142.

articularem pro digito sexto, multo minore, quam in manu sinistra, tribus phalangibus praedito, quarum secunda ac tertia erant minimae, et haec tota ungue obtecta. Musculus extensor digitorum communis tendinem dedit sexto, proprium quoque abductorem habenti. Digito quinto extensor proprius non erat. Flexor digitorum sublimis ad quintum non misit tendinem, sed modo parvum ad sextum. Flexor digitorum profundus in quatuor, ut solet, findebatur tendines, et ab eius tendine quarto pars abiit ad digitum sextum, tendinem flexoris sublimis perforans. Musculi interossei et lumbricales conditionem habuere normalem. Pedum optime conformatorum os cuboideum et metatarsi quintum latius, quam solet, digitum tulit accedentem. Musculus extensor digitorum longus tendinem misit ad digitum sextum, nequaquam vero extensor brevis. Musculorum digitorum flexorum brevis tantum tendinem misit ad sextum. Tendines duo digito minimo proprii affixi sunt ad sextum; musculi interossei, ut semper, se habuere; lumbricalium duo solummodo adfuere, alter pro digito secundo, alter pro quarto. — Haec manuum pedumque conditio latiores eos tantum reddidit sine ulla deformitate et usus detrimento.

III.

§. 21.

Directionem si consideras digiti accedentis, invenies ceterorum eo similiorem, quo perfectior est structura. Quamobrem digitus accedens, ubi a medio osse metacarpi sive metatarsi, vel phalange trahit ortum, fere semper de-

bet diverti, ut in casibus, quos descripsere *Heister* [1]), *Morand* [2]), *Meckel* [3]), *Hecking* [4]) et nos [5]).

IV.

§. 22.

Utrum in margine radiali, an ulnari frequentius reperiatur digiti accedentis situs, certe contendere non possumus, quum exemplorum pro hoc et illo numerus fere sit aequalis, et scriptores plurimi non dixerint, cui in margine situs fuerit digitus accedens. Plures casus, ubi digitus adnatus fuit quinto, iam retulimus [1]), alios descripsere *Bartholinus* [2]), *Borrichius* [3]), *Morand* [4]), *Carlisle* [5]), *Rust* [6]), *Heussner* [7]) et *Kopstadt* [8]). De pollice duplici iam supra [9]) locuti sumus; praeterea legas, quae narrarunt *Bartholinus* [10]),

---

1) *L. c.*
2) *L. c.* fig. 3 et 4.
3) Cf. p. 3.
4) Cf. p. 3.
5) Cf. p. 4.
1) Cf. p. 3, 4, 5, 6, 7, 12, 13 et 19.
2) Act. Hafn. a. 1673. num. XXXII.
3) *Thom. Bartholini* act. Hafn. etc. a. 1671 et 1672. num. XCIII. Cf. p. 25.
4) *L. c.*
5) Phil. transact. l. c. p. 94. Cf. p. 33.
6) *Magaz* l. c. Cf. p. 31.
7) *L. c.* Cf. p. 31.
8) *L. c.* Cf. p. 31.
9) Cf. p. 6 et 19.
10) *Act.* Hafn. a. 1675. num. XXXII.

Cauroi [11], *Plater* [12], *Saviard* [13], *Suë* [14], *Heister* [15], *van Doeveren* [16], *Buchner* [17], *Oberteuffer* [18], *Bremer* [19], *Bonnet* [20] et *Carlisle* [21].

Rarissima tantum occurrunt exempla, in quibus alii digito, excepto pollice et quinto, adnatus fuisset digitus accedens. Sic *Blasius* [22] et *van Doeveren* [23] duplicem viderunt digitum indicem; *Blasius* in eodem casu observavit digitum accedentem inter secundum et tertium. Digitum medium duplicem refert *Plater* [24], duplicemque digitum annularem *Plancus* [25].

V.

§. 23.

In quo corporis l a t e r e saepius occurrat numerus digitorum adauctus, difficillime est dictu, quia raro numerus in uno tantum augetur latere, neque semper scriptores nominant latus, in quo observarunt vitium.

---

11) *Journal des Sçav.* l. c. Cf. p. 26.

12) *Praxeos* medic. tom. III. Basil. 1656. p. 7.

13) *Obs.* chir. p. 402.

14) Hist. de l'acad. royale des scienc. 1746. p. 61. Cf. p. 26.

15) *L.* c.

16) Specim. observ. acad. Cap. XV. §. IV p. 259. Cf. p. 28.

17) Miscell. 1727. p. 406.

18) *L.* c. (In decem casibus novies vidit digitum accedentem hoc latus tenentem).

19) *Hartenkeil* med. chir. Zeit. 1803. IV. p. 255.

20) *L.* c. p. 500. Cf. p. 32.

21) *L.* c. p. 97. Cf. p. 27.

22) Cf. p. 13.

23) *L* c. Cf. p. 28.

24) Cf. p. 12.

25) De monstris. Venet. 1749. p. 8. Cf. p. 28

VI.

§. 24.

Aeque incertum est, utrum frequentius haec deformitas occurrat in manibus an pedibus. In casibus enim, quo totae familiae hoc vitio erant affectae, saepius numerus digitorum simul in manibus et pedibus abundavit, ut in familia *Ruhiana* [1]), *Kallejana* [2]), *Colburniana* [3]) et *Spackmanniana* [4]), quam solummodo in manibus vel pedibus, ut in familiis *Andegavorum* [5]); in singulis casibus obvenientibus crebrius laborare observamus manus.

Meckel [6]) putavit huius rei rationem forsan in eo esse ponendam, quod manus pedibus priores erumpant. Sed paucae tantum adsunt observationes probantes, manus prius erumpere pedibus. Nonne magna ex parte numerus maior observationum casus exhibentium vitii manuum explicari potest eo, quod digitorum pedum deformitates facillime fugiant inquisitionem? Etiamsi accipiamus legem illam, tamen explicare non possumus, quomodo fiat, si omnes extremitates affectae sint hoc vitio, pedes saepius digitis numerosioribus abundare, quam manus (teste *Meckelio* [7]) ipso).

---

1) Cf. p. 33.
2) Cf. p. 34.
3) Cf. p. 33.
4) Cf. p. 35.
5) Cf. p. 32.
6) De dupl. monstr. l. c.
7) *L.* c.

VII.

§. 25.

Quomodo hisce in nisus formativi vitiis influat sexus, aeque nobis ignotum est. In familiis sedigitis non minus hac deformitate laborat genus femininum, quam masculinum, quamquam in casibus, ubi numerus digitorum adauctus cum aliis vitiis, ex impedita evolutione natis, est coniunctus, frequentius genus femininum correptum reperimus, quam masculinum.

VIII.

§. 26.

Permultis in casibus, ubi numerus digitorum augetur, etiam alia videmus corporis vitia, et si consideramus, quomodo deformitas, de qua hic est sermo in haec se habeat, fere semper eam coniunctam invenimus cum vitiis ex evolutione retardata ortis, praesertim cum iis oculorum et faciei. Haec vero ratio ad alia corporis vitia tam arctis finibus obstricta non tenetur, ut in eodem maneat corpore, sed etiam in alia extenditur eiusdem familiae membra, quare primum exponamus rationem, quam observet digitorum numerus adauctus cum ceterarum eiusdem corporis partium vitiis.

§. 27.

Complicationem memoratu dignam, quae digitos tantum lateris oppositi tetigit, secundum *Meckelium* [1]) explicuit *Neu-*

---

1) De dupl. monstr. §. XX.

mann [2]). Vidit nempe in foetu hernia umbilicali affecto, pedem sinistrum halluce carentem, pedem vero dextrum octo digitis praeditum, quorum octavus iterum findebatur.

Foetus tripes, pede altero sedigito; item foetus tripes pede altero sedigito, cordibus duobus, ventriculis duobus, renibus quatuor et intestinis duplicibus; et puer, cui tertium crus a dextro femore oriebatur, pendulum, mobile, absque rotula, digitis octonis, quorum duo medii maiores erant, reperiuntur apud *Hallerum* [3]).

Meckel [4]) quatuor memorat casus.

Borrichius [5]) duos Cyclopes vidit sedigitos. Primus infans circiter mensium decem senos et manuum et pedum digitos habuit, minimo ubique in duos sese findente. Nasus ei nullus erat, et loco eius radicis orbita erat cum oculi bulbo bene formato, duobus nervis opticis palpebrisque instructo. Cyclopi alteri etiam viginti quatuor erant digiti, et in radice nasi positus oculus unus plane secundum normam constructus.

Vollgnad [6]) nobis effigiem dedit monstri cum duobus capitibus, quatuor brachiis, tribus cruribus, cuius in tertio pede eminuit prominentia calcari gallinaceo simillima. Simul in hoc septem conspicui fuere digiti. Massa deformis, pedi quarto similis, pendebat in abdomine. Interna corporis structura non multum a solita discrepuit.

In foetu monstroso, quem *Sampson* [7]) descripsit, nulla sexus distinctio, nullusque exitus pro ano et vesica urinaria, nullusque funiculus umbilicalis aderant. Intestina saeculo in-

---

2) Comm. nor. 1740. p. 172.

3) De monstris. Tom. III.

4) De dupl. monstr. §. XX.

5) *Thom. Bartholini* act. Hafn. etc. anni 1671 et 1672. Num. XCIII.

6) Miscell. curios. medic. phys. etc. annus 1672. Obs. CCXCIX.

7) Miscell. curios. med. phys. etc. annus 1672. Obs. CLXIX.

clusa dependebant ex abdominis latere dextro. In latere sinistro unicum tantum loco costarum aderat os; in capitis sinistra parte auris nulla, sed parvum tantum foramen; nullum cranium; per membranam tenuem conspici licuit cerebrum; in parte capitis dextra moles magna aderat carnea, pilis obtecta, ad humerum pendens, sub qua auris posita fuit. Nullus nasus, neque labia, sed loco eorum foramina tantum. Brachium dextrum quasi fractum. In singulis manibus pedibusque sex digiti erant membrana colligati.

Embryonum possedit *Osiander* 8) generis neutrius cum ano clauso. Pedis sinistri sex digitis instructi femur et cruris maxima pars defuit.

Cauroi 9) neonatum vidit, qui in utroque pede septem habuit digitos optime formatos, quorum halluces ambo coniuncti erant, ceteri digiti bene separati. In manu dextra fuere digiti octo, quorum et uterque digitus index, et uterque auricularis erant coniuncti, aeque ac uterque annullaris manus sinistrae, septem instructae digitis bene seiunctis. Manus utraque recurvata fuit super carpum, et metacarpus, metatarsusque multo latiores fuere ad excipiendos digitos accedentes. Caput magnitudinem superavit adulti. Nasus ei nullus fuit, sed foramina modo duo, et loco oculorum rimae tantum sine bulbis. Loco aurium rimae tenuissimae adfuere, quasi ungue impressae. Os, simile foramini magno, eo loco incepit, ubi debuit esse nasus, et deorsum versus tendit nullis praeditum labiis. Cranium magnam aquae copiam continuit, et parvam modo cerebri mollis.

Suë 10) in monstro, cuius manus sinistra pollice duplici

---

8) *Frid. Benj. Osiander* epigrammata in divers. res mus sui anatom. Gotting. 1814 IX. p. 36.

9) Journal des Sçavans pour l'année 1696. Tom 24. à Amsterdam 1697. p. 81.

10) Histoire de l'académie royale des sciences. 1746. p. 61.

erat instructa, observavit anum deficientem, loco genitalium vesicam tantum parvam, defectum magnae partis pelvis, cui affigebatur os femoris perversum duabus cum patellis. Musculi flexores anteriorem, extensores posteriorem obtinuere partem. Pulmo minimus fuit, quatuor e lobulis compositus. etc.

Jaucourt [11]) refert famosam illam Annam Boleyn in manu dextra sex habuisse digitos, dentem perverse positum in maxilla superiore, et tumorem parvum supra sterno.

Carlisle [12]) bis observavit in idiotis pollicem duplicem utriusque manus.

Infans ubique sedigitatus cum palato fisso et spina bifida in regione lumbari descriptus est in diario: *Breslauer Sammlung* [13]).

In alio casu manus altera sex, altera septem praedita fuit digitis, deficientibus oculis et scroto [14]).

Etiam legitur de sex pedis dextri digitis cum hemicephalia [15]).

Chévalier [16]) exemplum narrat digitorum senorum in manu et pede dextro cum deficientibus ano, oculis et genitalibus.

Walter [17]) casum exhibuit palati fissi, sexus diiudicatu difficilis, vesicae inversionis, in quo utraque manus sex habuit digitos.

Idem [18]) observavit palatum ita fissum, ut labium quo-

---

11) Encyclopédie ou dictionn. raisonné des sciences, des arts et des métiers. Tom. V. A Paris. 1735. Article Doigt. p. 14.

12) *Phil. transact.* 1814. P. I. p. 97.

13) *Winterq.* 1718. p. 840.

14) *Ibidem* Vers. 5. p. 1658.

15) *Phil tr.* no 160. p. 599.

16) *Corvisart*, J. de méd. T. 16. p. 370.

17) *Mus.* anatom. p. 123. n. 821.

18) *Ibid.* p. 128. n. 3026.

que superius deficere videretur, simul cum septem manus dextrae digitis.

In casu alio, a *Planco* 19) nobis relato, magna hernia umbilicalis, nasus externus clausus aderat cum digito sexto.

§. 28.

Satis argumenta attulisse putamus, saepissime cum numero digitorum adaucto etiam alia in eodem corpore occurrere vitia, sed exempla quoque nobis adsunt, quibus probare possumus, consanguineos quoque eorum, in quibus auctus est digitorum numerus, aliis, adeo contrariis digitorum affici defòrmitatibus, ita ut in familia membrum alterum habeat digitos numerosiores, alterum e contrario rariores.

Historiam huc pertinentem memorabilissimam nobis tradidit *van Doeveren* 20). Parentes optime conformati inter octo, quos genuerunt, liberos, quatuor esse dolebant, corporis vitiis affectos.

Natu maximus scilicet ex coxarum morbo claudicavit, pes eius dexter in digito medio insidentem habuit quartum, suo loco deficientem, pesque sinister caruit digito secundo et tertio. Filius secundus bona gavisus est forma. Tertius aeque ac secundus formatus. Quartus in pede dextro duplicem habuit hallucem, digitos duos sequentes perparvos, duos reliquos eadem cute colligatos. Sinistri pedis digitus secundus et tertius coaluerunt, quartus defuit, hallux et digitus quintus ad normam se habuere. Filius quintus nullo laboravit vitio; sextus rhachitide valgus fuit. Septimus erat acephalus. Partu octavo filia nata est pulcherrimae formationis, cuius vero pes uterque omnibus digitis

---

19) De *monstris.* Venet. 1749. p. 8.

20) *Gualth. van Doeveren* specim. obs. academic. Groning. et Lugd. Bat. 1765. Cap. XV §. IV. p. 259.

caruit excepto digito minimo et halluce. In eius manu sinistra digitus medius et annularis eadem inclusus erat cutis vagina, duobus praedita unguibus. Manus dextrae digitus index ultimum duplicem habuit articulum; medius cum annulari coaluit, ita ut in phalange prima fuissent ossicula duo, in secunda solummodo unum, in tertia duobus instructa unguibus iterum duo.

Aliud exemplum *Morand* 21) citavit, ubi puella sex cum digitis in manu dextra, cum septem in sinistra sororem habuit, cuius altera manus pollice tantum gaudebatur.

IX.

§. 29.

Iam supra saepe monuimus esse familias et gentes quasdam, quorum omnia, vel fere omnia membra numero digitorum adaucto laborent, qua re inducimur ad huius vitii c o n d i t i o n e m h e r e d i t a r i a m illustrandam.

§. 30.

In sequentibus videbimus in familiis haud raro hoc vitium omnia earum membra corripuisse; sed eodem modo, quo alia nisus formativi aberrationum genera, ubi totis inhaerent familiis, non semper idem infestant organum, nec in eodem quoque organo genus invenitur idem, etiam in hac deformitatum classe res se habet. Nonnulla enim familiae membra vitio libera sunt, alia ex parte tantum eo carent; modo discrepat numerus digitorum accedentium, modo

21) *Histoire* de l'acad. royale des sciences. Année 1770. l. c. p. 138.

qualitas, situs, usus et directio; modo nonnulla familiae membra loco huius deformitatis aliis sunt affecta.

§. 31.

Huius rei exemplorum magna est frequentia. Imo familiae dantur nonnullae, quibus inde cognomen erat. Iam *C. Plinius II.* [1]) dixit: „Digiti quibusdam in manibus seni. „C. Horatii ex patricia gente filias duas ob id Sedigi-„tatas appellatas accepimus et Volcatium Sedigi-„tum, illustrem in Poetica;" et a Meckelio [2]) accepimus in Suevia familiam esse cum digitis manuum et pedum senis, ea causa nomine Bilfinger donatam.

Huc etiam pertinet casus noster [3]), *Morandi* [4]) et *Gualtheri van Doeveren* [5]). Hic etiam feminam novit, quae iam tertia vice peperit infantem, in una manu sedigitum, dum neque a patris, neque a matris parte ulla huius vitii apparuit causa [6]).

Maupertuis [7]) virum vidit sedigitatum liberos habentem eadem deformitate praeditos, cuius in familia iam ex longo tempore hereditarium erat hoc vitium.

Morand [8]) puellae abscidit digitum sextum, cuius mater quoque pollicem habuit bifidum. Idem [9]) memorat, in In-

---

1) Histor. natural. Biponti 1783. Lib. XI. Cap. XCIX. p. 307.
2) De duplic. monstr. commentar. Hal. et Berol. 1815.
3) Cf. supra p. 4.
4) Cf. p. 19.
5) Cf. p. 28.
6) *Gualth. von Doeveren* specim. observ. acad. etc. Groning. et Lugd. Batav. 1765. Cap. II. §. X. p. 57.
7) Lettres de monsieur *de Maupertuis.* Séc. édit. A Berl. 1753. XIII. p. 112.
8) *L.* c. p. 150.
9) *L* c. p. 142.

dia esse montem, cuius omnes incolae octonis pedum digitis instructi essent.

Schmucker [10]) hortulani novit feminam, quae partu semper edidit infantes in manu et pede utroque sex habentes digitos, quamvis ipsa et coniux ad normam formati fuerint, neque recordari potuerint, in familia unquam provenisse tales casus. Digitorum alii proprio praediti erant osse metacarpi seu metatarsi, alii phalangibus tantum atque unguibus.

Rust [11]) mentionem fecit fabri ferrarii, cui simul in manibus ac pedibus sextus aderat digitus, cuiusque quatuor liberi eandem praebebant formam.

Willigens [12]) virum observavit, qui ex duabus feminis liberos procreabat, quorum plurimi in manibus ut in pedibus erant sedigiti. Conjugis primae filia item infantes genuit duos, in manibus sedigitatos.

Kopstadt [13]) memoravit infantem, in manu sinistra sextum iuxta quintum habentem digitum. Avia eodem laboravit vitio.

Infantem trium mensium vidit *Heussner* [14]) cum manus digito minimo duplici. Quantum explorari potuit digitus accessorius osse metacarpi proprio carebat, attamen instructus phalangibus tribus, ungue et musculis, quum infans eum potuerit movere. Eius mater in latere exteriori articuli primi digiti minimi sextum habuit cute tantummodo cum illo coniunctum, et verrucae similem. Liberorum ceterorum manus bene erant formatae.

---

10) Chirurg. Schriften. Bd. 2. p. 84. (*Meckel's* path. An. c. l.)

11) *Magazin* Bd. 19 XIX. 1. c. p. 361.

12) *L. Fr. von Froriep's* Notizen aus d. Gebiete d. Nat. u. Heilkunde 8. Bd. Nro. 4 p. 58.

13) *Generalbericht* etc. l. c.

14) *Ibid.*

Pater et filius ubique sedigitati in diario sunt memorati, quod nominant *Breslauer Sammlung* (J. 5. p. 5.) [15]).

Secundum *Meckelium* [16]) *Morand* mulierem citavit, ubique sedigitatam, matrem filiae, in pedibus solummodo hoc vitio affectae, quae octo liberorum mater fuit quorum quatuor hac in pedibus laborabant deformitate.

Menou [17]) teste *Bonneto* [18]) narravit numerum digitorum adauctum in nonnullis Andegavorum inferiorum familiis iam ab antiquissimis temporibus ita propagatum esse, ut digitus accedeus semper accreverit lateri pollicis manus utriusque, ossi multangulo maiori insidens, per primam phalangis suae longitudinem cum pollice iunctus, eademque cutis vagina inclusus. Haud raro adhuc duae phalanges sequentes quoque cum pollice coaluerunt, ita ut in pollice duplici ex his orto, duobus unguibus instructo, videnda tantum esset divisio parva. Nonnunquam digiti novi phalanx secunda pollice discessit ad latus eius externum, nonnunquam etiam ad contrarium inter eum et digitum indicem, Saepius pollex non erat duplex, sed tertia parte iusto longior, planus, phalanges duas possidens cum prima laxe modo connexas, incurvatas ad digiti indicis extremitatem, eumque paene attingens. Viri aeque ac feminae hoc malum propagarunt. Parentibus sedigitatis nonnunquam liberi nonnulli fuerunt vitio expertes, saepius adeo omnes, attamen proles ex hisce procreatae hoc iterum vitio affectae erant; imo in familiis, quibus ne minima quidem huius mali suspicio aderat, infantes sunt nati hac cum deformitate, adeo cum digitis sex in altera manu, in altera septem. Haec deformi-

---

15) *J. Fr. Meckel* de dupl. monstros. §. XI.

16) *Ibid.*

17) Journal de Physique. Novembre 1774.

18) L. c. p. 500.

tas non impedivit, quominus homines illi agros coluerint et adeo opificia tractaverint.

Maupertuis [19]) nobis tradidit historiam familiae, in qua per longum tempus hereditate transiit numerus adauctus digitorum. Jacobus Ruhe in manibus uti in pedibus senis instructus digitis hoc vitium accepit a matre Elisabetha Ruhe, et haec a matre Elisabetha Horstmann. Septem fratrum Jacobi quatuor hoc vitio erant expertes, quo tres ceteri laborabant. Ipse inter sex liberos duos genuit sedigitatos, quorum alter in manu dextra pedeque laevo tantum senos possedit digitos. In manu sinistra loco digiti sexti modo habebat verrucam.

Carlisle [20]) similem memoratu dignissimam observationem tradidit.

Zerah Colburn digitum habuit accedentem manus et pedis utriusque lateri externo insidentem, bene conformatum, tribus phalangibus instructum, articulis atque unguibus.

Eius pater, Abiah Colburn, et in manibus et in pedibus digitum quintum duplicem possedit, osse metacarpi et metatarsi proprio, flexoribus extensoribusque praeditum. Coniux Abiah Colburn, nil praeter normam prae se ferens, sex peperit filios, duasque filias. In quatuor tantum filiorum plus minusve hereditate transiit vitium. Filii natu maximi, Green Colburn, pes unus tantum digito accedente caruit.

Filia secunda, Betsy Colburn, ad normam conformata fuit.

Tertii, Zebinae Colburn, manus pedesque senis instructi erant digitis.

---

19) *L. c.* p. 112.

20) *Phil. transact.* 1814. P. 1. p. 94.

Quartus et quintus gemelli erant, nomine David et Jonathan. Hic tantum formatus est, ut pater.

Zerah Colburn, filium sextum, supra descripsimus.

Filia septima, Mary Colburn non peccat, ut etiam Infans octavus, Enas Colburn.

Mater Abiah Colburn, nomine Abigal Green, excepta una manu, ubique erat sedigitata, uti filius. Pater Abiah Colburn, bene formatus, nomine David cum Abigal tres genuit filios, filiamque. Filiorum duo et filia eodem vitio laborabant, ut Abiah; filii alterius manus et pes unus bene erat formatus.

Abigal Green hereditate accepit hoc vitium a matre Kendall ubique sedigitata. Green cum Kendall liberos procreavit undecim, quibus omnibus totam illam deformitatem fuisse contendit Abigal Green.

Godeheu de Riville [21]) familiam novit Maltensem sedigitatam. Gratio Kalleja scilicet natus est ubique sex digitis praeditus. Manuum digiti accedentes optime fuerunt conformati, facillimeque moveri potuerunt, pedum vero ingratam prae se tulerunt speciem. Gratio infantes genuit quatuor.

Natu maximi Salvatoris, item ubique sedigitati, manus non tam pulchre fuerunt conformatae, quam patris, pedes vero optime. Jam procreaverat filiam filiosque duos ubique sedigitos, et filium ad normam se habentem.

Filius secundus, Georgius, quinos tantummodo digitos in manibus pedibusque habuit, sed eius ambo manuum pollices longiores et maiores solito fuerunt, in iisque per medium sentiebatur divisio, quasi fuissent pollices duplices eadem cute tecti. Pedis sinistri digitus primus et secundus

---

21) Oeuvres d'histoir. naturell. et de Philosoph. de *Charles Bonnet* Tom. VI. A Neufchatel 1779. (Considérations sur les corps organisés. Tom II) Chap. VIII, CCCLV. p. 478.

coaluerunt. Creavit filias tres, filiumque, quorum filiae ambo natu maximae ubique sedigitatae erant, tertia autem in manibus et pede laevo tantum senis praedita erat digitis. Filius vitio fuit expers.

Andreas, filius quartus, quinque modo digitos habuit in manu et pede utroque, eiusque infantes eodem modo erant conformati.

Maria, filia, in manibus eandem deformitatem tulit quam Georgius, in pedibus vero nullam, eique sunt filii filiaeque duae. Filiorum alteri in uno tantum pedes accessit digitus.

Georgii filii, digitos habentes accessorios, vix manibus ad laborem uti potuerunt. Infantum unus digitos duos habebat ungue carentes, et alius duos curvatos, fere resolutos.

Salvatoris filiis melius conformati erant digiti negotiaque curare potuerunt. Filiae manus pedesque sunt minime deformes.

In diario, quod nominant das *Ausland* 22) narratur, in Anglici comitatus Essex pago Leiton virum vivere, tegetum straminearum opificem, nomine Thomas Spackmann, cui in pede utraque erant digiti sex, et nonnullos ante annos etiam in manibus praeter pollicem quinque. Fortuito inter laborem digitum sextum manus sinistrae amisit, quo loco eius truncus tantum superest. Digiti accedentes normalem prae se ferebant formam, articulis vero, tendinibusque carebant ligamentis tenuibus tantum cum manu coniuncti. Eius proavus omnesque maiores digitis hisce abundantibus laborarunt, ut etiam omnes eius infantes, excepta una tantum filia.

---

22) *Das Ausland* Nro. 269. Ein Tagblatt für Kunde des geistigen und sittlichen Lebens der Völker. 25. Sept. 1836.

VITA.

Natus sum ego *Henricus Rosbach* Augustae Trevirorum anno nostri saeculi XIV. die mensis Maii XXXI., patre *Mathia Rosbach*, matre *Margaretha Fortunata*, e gente *Sontag*, quos parentes etiam nunc inter vivos versantes pio laetoque animo veneror. Fidei sum addictus Catholicae. Primis litterarum elementis imbutus Treviris, annos natus octo adii Gymnasium Trevirensem, quod floret moderatore cl. *Wyttenbach.* Quod quum frequentassem per annos decem autumno anni MDCCCXXXII, examine abiturientium feliciter absoluto, hanc almam petii litterarum universitatem Bonnensem, ubi in civium academicorum numerum receptus a Rectore t. t. magnifico ill. *Walter* nomen professus sum apud cl. *Harless*, t. t. Decanum ordinis gratiosi medicorum spectatissimum.

Hae sunt, quas frequentavi per quatuor annos et dimidium lectiones:

I. *Philosophicae.*

Logice et psychologia apud cl. *van Calker*, physice et chemia experimentalis apud cl. *G. Bischof*, botanice apud cl. *Treviranum*, zoologia et zootomia apud cl. *Goldfuss*, mineralogia apud cl. *Noeggerath.*

II. *Medicae.*

Encyclopaedia et methodologia medica apud cl. *Mueller*; anatomia generalis et specialis apud cl. *Mayer* et cl. *Weber*; anatomia comparans apud cl. *Weber*, physiologia apud cl. *Mayer*; pathologia generalis cum semiotice, specialis, patholo-

gia et therapia morborum syphiliticorum apud cl. *Albers;* materia medica, formulare, medicina forensis et epizootiae apud cl. *E. Bischoff*; chirurgia, anatomia chirurgica, doctrina de fasciis applicandis, de operationibus chirurgicis, de morbis oculorum apud cl. *Wutzer;* therapia generalis, specialis et anthropologia apud cl. *Fr. Nasse;* ars obstetricia, doctrina de morbis puerorum apud cl. *Kilian;* therapia generalis apud cl. *Harless;* morbi chronici apud cl. *Naumann*; doctrina de operationibus ophthalmiatricis apud cl. *H. Nasse.* Exercitationum practicarum mihi duces fuere in arte cadavera dissecandi per annum cl. *Mayer* et cl. *Weber;* in arte operationes chirurgicas instituendi cl. *Wutzer;* in arte operationes instituendi in oculis cl. *H. Nasse;* in exercitationibus in machina, phantoma dicta, instituendis cl. *Kilian;* in clinico propaedeutico per semestre, clinico therapeutico per tria semestria cl. *Fr. Nasse*; in clinico chirugico et ophthalmiatrico per semestria tria cl. *Wutzer*, in xenodochio obstetricio per tria semestria cl. *Kilian.* In huius anni feriis, quae sunt tempore Paschatis, vesanis operam dedi in nosocomio Siegburgensi, quod floret auspiciis cl. *Jacobi.*

Quibus viris omnibus tantopere pro me meritis pio gratoque animo gratias quam maximas refero.

THESES.

I. *Nulla est differentia absoluta inter naturam organicam et sic dictam mortuam.*

II. *Nervis actio in distans inest.*

III. *Non semper nisus formativi aberrationes impediunt vim et functionem organi affecti.*

IV. *Febris utique morbus essentialis esse potest, neque profecto semper symptomaticus.*

V. *Non datur continuus per continua vasa inter matrem et foetum sanguinis circulus.*

VI. *Tam methodus plane activa, quam prorsus passiva in adhaesionis placentae casibus est reiicienda.*